eaſ gutturi tuo. et deſcribe in tabulis cordiſ
tui. et inuenies gratiam et diſciplinam bonam
coram deo et hominibus. Habe fiduciam in
domino ex toto corde tuo: et ne innitaris
prudentie tue. In omnibus uiis tuiſ cogita
illum: et ipſe diriget greſſus tuos. Ne ſis
ſapienſ apud temetipſum: time dominum et
recede a malo. Sanitaſ quippe erit umbi-
lico tuo: et irrigatio oſſium tuorum. Honora
dominum de tua ſubſtantia. et de primitiiſ fru-
gum tuarum: et implebuntur horrea tua
ſaturitate. et uino torcularia redundabunt.
Diſciplinam domini fili mi ne abiciaſ: nec
deficias cum ab eo corriperiſ. Quem enim
diligit dominuſ corripit. et quaſi pater in
filio complacet ſibi. Beatuſ homo qui inue-
nit ſapientiam: et qui affluit prudentia.
Melior eſt adquiſitio euiſ negociatione ar-
genti et auri: primi et puriſſimi fructus eius.
Precioſior eſt cunctis opibus. et omnia que
deſiderantur: huic non ualent comparari.
Longitudo dierum in dextera eius: et in ſini-
ſtra euiſ diuitie et gloria. Vie euiſ uie pul-
chre: et omnes ſemite euiſ pacifice. Lignum
uite eſt hiſ qui apprehenderint eam: et qui
tenuerit eam beatuſ. Dominuſ ſapientia fun-
dauit terram: ſtabiliuit celos prudentia.
Sapientia illiuſ eruperunt abyſſi: et nubes
rore concreſcunt. Fili mi ne effluant hec
ab oculis tuiſ. cuſtodi legem atque conſilium:
et erit uita anime tue. et gratia faucibus tuiſ.
Tunc ambulabis fiducialiter in uia tua:
et pes tuuſ non impinget. Si dormieriſ: non
timebiſ. Quieſces: et ſuauiſ erit ſomnus
tuuſ. Ne paueas repentino terrore: et irru-
entes tibi potentiaſ impiorum. Dominus
enim erit in latere tuo: et cuſtodiet pedem
tuum ne capiariſ. Noli prohibere benefacere
[illegible] potest: ſi uales et ipſe benefac. Ne

tibi: cum ſtatim poſſis dare. Non enim
ſcis quid ſuperuentura pariat dies. Ne mo-
liariſ amico tuo malum: cum ille in te
habeat fiduciam. Ne contendaſ aduerſus
hominem fruſtra: cum ipſe nichil tibi
mali fecerit. Ne emuleriſ hominem iniuſtum
nec imiteriſ uias euiſ: quia abhominatio
domini eſt omniſ illuſor. et cum ſimpli-
cibus ſermocinatio euiſ. Egeſtas a domino in
domo impii: habitacula autem iuſtorum
benedicentur. Illuſores ipſe deludet: et
manſuetiſ dabit gratiam. Gloriam ſapien-
tes poſſidebunt: ſtultorum exultatio igno-
minia. Audite filii diſciplinam patris:
et attendite ut ſciatiſ prudentiam. Donum
bonum tribuam uobis: legem meam ne
derelinquatiſ. Nam et ego filiuſ fui patris
mei: tenellus et unigenituſ coram matre
mea. et docebat me atque dicebat. Suſcipi-
at uerba mea cor tuum: et cuſtodi precep-
ta mea et iudicia et uiues. Poſſide ſapien-
tiam. poſſide prudentiam: ne obliuiſca-
riſ neque declines a uerbiſ oris mei. Ne
dimittaſ eam et cuſtodiet te: et dilige eam et
ſeruabit te. Principium ſapientie poſſide
ſapientiam. et in omni poſſeſſione tua ad-
quire prudentiam. Arripe illam. et exal-
tabit te: glorificabis ab ea cum eam fue-
riſ amplexatus. Dabit capiti tuo augmen-
ta gratiarum. et corona inclita proteget te.
Audi fili mi et ſuſcipe uerba mea. ut
multiplicentur tibi anni uite. Viam ſapi-
entie monſtrabo tibi. ducam te per ſemitas
equitatiſ. Quas cum ingreſſus fueriſ.
non artabuntur greſſus tui. et currenſ
non habebiſ offendiculum. Tene diſcipli-
nam ne dimittaſ eam: cuſtodi illam quia
ipſa eſt uita tua. Ne delecteriſ ſemitis
impiorum: nec tibi placeat malorum uia.

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/7, VIIIB20/8, VIIIB20/9, VIIIB20/10, VIIIB20/11, VIIIB20/12, VIIIB20/13, VIIIB20/14, VIIIB20/15, VIIIB20/92, VIIIB20/94, VIIIB20/97, VIIIB20/98, VIIIB20/104, VIIIB20/115, VIIIB20/116, VIIIB20/117, VIIIB20/164, VIIIB20/183, VIIIB20/97, fol. [2]r – Bible (https://fragmentarium.ms/view/page/F-bcyo/9157/68048)